

## Latin versions of English-Latin passages for *Latin to GCSE: Part 1*

[revised 21.9.18]

### *Passage 1: Part 1*

servi ad forum ambulant. per viam ambulant et nuntium vident. equus nuntium portat, et nuntius epistulas portat. epistulas ad villam Publii portat. servi equum spectant. equum amant. deinde in tabernam ambulant. cibum emunt. circum forum diu ambulant. mox defessi sunt. itaque cibum ad villam portant. per portam in hortum ambulant. dominum et domimam salutant.

### *Passage 1: Part 2*

servi in villam nunc ambulant et cibum in culinam portant. ancilla cenam parat, et cantat. laeta est. servi ancillam amant, sed ancilla nuntium amat. domina vocat, et ancilla in hortum ambulat. subito canis per portam in hortum currit. deinde in villam et circum culinam currit. ancilla clamat 'lupus est!' canis latrat, cibum spectat et subripit. cibum per villam et in viam portat. dominus iratus est. dominam culpat; servos culpat; ancillam culpat. sed canem non culpat. canes amat.

### *Passage 2*

vir, Caius nomine, per viam cum filio ambulat. Publium et Corneliam visitant. puer, Iulius nomine, filius Caii et amicus Marci est. Marcus est filius Publii et Corneliae. ad villam veniunt, et per portam in hortum ambulant. Publius et Cornelia in horto sedent. vinum bibunt. Caius quoque vinum bibit cum Publio et Cornelia. Iulius interea in villam intrat. Marcum in bibliotheca invenit. multi libri sunt. Iulius legere amat. itaque fabulam legit. subito clamorem audiunt. e villa in hortum currunt. nuntius prope portam est. Publium petit. epistulas Publio dat. Publius circum hortum ambulat. laetus est. Romani victoriam habent. Britannos superaverunt. Romani Britanniam regunt.

### *Passage 3*

Iulius Decimusque villam Marci et Melissae amicorum hodie visitant. diu in horto sedent. pater e villa venit, et liberos cum amicis vidit. Melissam et pueros monet, 'manete in horto!' inquit 'est periculum in via. sunt in foro multi equi. nuntios portant et turbam timent. viros et feminas et libros terrent.' itaque pueri in horto manent. ludum ludunt. Melissa in villam ambulat. mox servus e villa in hortum venit. librum portat. 'salvete, pueri!' inquit. servus legit et pueri audiunt. 'est in Britannia' inquit 'regina ferox, Boudicca nomine. nunc Romanos necat. sed tandem Romani reginam et Britannos superant.' Iulius 'Romani' inquit 'semper vincunt.' Decimus 'bellum' inquit 'malum est. amicum habeo. amicus in Britannia miles est.' mater e villa venit, et pueros vocat. 'venite in villam, pueri!' inquit. 'cena parata est.'

#### *Passage 4*

Publius est senator Romanus. dominus est villae. Cornelia uxor Publii est. domina est. Publius et Cornelia filium Marcum et filiam Melissam habent. in agris habitant. magnam villam habent. sunt quoque multi servi et multae ancillae. Davus Aferque servi sunt et Anna ancilla est. semper laborant.

Davus Aferque heri in horto laborabant. Anna in villa laborabat. in horto per quinque horas laborabant. deinde dominus e villa veniebat. epistulam portabat. epistulam amico Alypio mittebat. epistulam Davo tradidit. Afer cum Davo per viam ambulabat. puellas spectabant. sed puellae servos non spectabant. servi laeti non erant.

Anna interea in culina erat. cibum parabat. laeta erat et cantabat. Cornelia Annam vocabat. deinde ad forum ambulabant. erant multae tabernae. in taberna cibum emebant. deinde ad templum ambulabant. deam laudabant. tandem ad villam ambulabant.

Davus et Afer per viam ambulabant. puellas iterum spectabant. puellae servos nunc spectabant. sed Cornelia quoque servos spectabat et vocabat. cibum Davo tradidit. servus cibum ad villam portabat.

#### *Passage 5*

Publius et Cornelia laeti erant. amicos Caecilium et Luciam exspectabant. quamquam Romani erant, Caecilius et Lucia in Graecia diu habitabant. Romam nunc redibant. multas horas navigabant. tandem in Italiam advenerunt. Romae diu manebant et multos amicos visitabant.

postea in agros iverunt. villam Publii et Corneliae quaerebant. amicos salutabant. omnes laeti erant. postridie Publius et Caecilius fundum Publii visitabant. erant multa animalia. Caecilius equum diu spectabat. deinde Publio 'pulcher est' inquit 'equum amo.' sed non emit. interea Cornelia et Lucia tabernas visitabant. Lucia multa diu spectabat. subito stolam pulchram vidit. stolam emit. deinde in taberna diu cibum consumebant et vinum bibebant. tandem Caecilius et Lucia ad Graeciam redire debebant. in Italia manere non poterant. feminae miserae erant et lacrimabant. sed frustra!

#### *Passage 6*

Numitor, vir bonus, rex Albae Longae erat. Numitor fratrem Amulium nomine habebat, virum scelestum. Amulius cum comitibus contra Numitorem arma cepit. Numitor fugit. Numitor tamen filiam habebat Rheam Silviam.

Amulius 'Rhea Silvia' inquit 'puella est. eam non timeo.' Rhea Silvia tamen pueros geminos Romulum et Remum peperit. pater eorum Mars erat.

Amulius 'pueri' inquit 'periculum mihi sunt.' servum igitur vocavit. 'neca' inquit 'infantes!' sed servus pueros non necavit. in ripa eos reliquit. lupa infantes vidit. pueros non laesit, sed diu amabat. tum pastor eos invenit, et ad uxorem portavit.

#### *Passage 7*

Romulus et Remus iuvenes fortes nunc erant. tandem de Amulio et Numitore audiverunt. Amulius dives erat et Albam Longam regebat. Numitor pauper et miser erat. in terra longinqua habitabat. itaque Romulus et Remus Albam Longam festinaverunt. multos milites ducebant. Amulium oppugnaverunt et necaverunt. Numitor rediit.

fratres novam urbem aedificare constituerunt. nova urbs prope septem colles erat. Remus novam urbem in Aventino aedificare cupiebat, et Remam nominare. Romulus novam urbem in Palatio aedificare cupiebat, et Romam nominare. auspicia igitur quaesiverunt. subito Remus sex vultures super Aventinum vidit. deinde Romulus duodecem vultures super Palatium vidit. Remus 'auspicium meum' inquit 'primum erat. dei Remam legerunt.' Romulus 'minime' inquit 'tu sex vultures vidisti. ego duodecem vidi. dei Romam legerunt.' postea Remus muros novae urbis spectavit. muri parvi erant. Remus risit. 'noli de nova urbe ridere' clamavit Romulus. fratres pugnaverunt. tandem Romulus Remum necavit. itaque Romulus primus rex Romae erat.

### *Passage 8*

prima luce mater liberos vocavit. 'festinate, pueri!' inquit 'nonne ad ludum ire cupitis?' Quintus 'ad fundum' inquit 'cum patre ire cupio. magistrum non amo. linguam Latinam non amo; linguam Graecam non amo. de equis et vaccis et capris discere cupio.' 'amasne fabulas de Paride Helenaque et de Aenea Didoneque?' Sextus rogavit. frater non respondit. Paulina, soror Quinti Sextique, semper cum fratribus ad ludum ire cupiebat. pueri riserunt. Quintus 'tu' inquit 'puella es. puellae cum matribus manent, et multa de maritis infantibusque discunt.' Paulina irata erat et lacrimavit. mox liberi e villa discesserunt. per forum ad ludum ambulabant. 'festina, Quinte! cur lente ambulas? ubi est liber tuus?' rogavit Sextus. 'nescio' respondit Quintus 'librum non habeo. eum inveire non poteram.' subito Marcum amicum viderunt. puer currebat. 'salve, Marce! quo curris et unde venisti?' Marcus 'salvete!' inquit 'a foro veni. cibum emi. erant in taberna multae feminae. ibi unam horam eram; ad villam nunc curro. valete!' pueri ad ludum mox advenerunt. amicos salutaverunt. 'festinate, pueri! magister vos exspectat.' deinde in ludum ambulaverunt. magister ceras et stilos pueris dedit. pueri scribebant, et omnes bene laborabant. duas horas laborabant. deinde magister 'bene laboravistis' inquit 'domum nunc ire potestis. valete!'

### *Passage 9*

Paulina 'mox' inquit 'Quintus et Sextus domum venient. prope portam eos exspectabo.' deinde fratres vidit. pueri lente ambulabant. Paulina 'festinate!' inquit 'quid hodie in ludo fecistis? dicite mihi!' 'mox audies' responderunt fratres 'sed nunc cenam consumemus. deinde omnes in horto sedebimus. tibi fabulam de Paride Helenaque et de bello longo narrabimus.' postea in horto sedebant. Quintus et Sextus fabulam narrabant. Quintus 'olim' inquit 'erat femina pulchra, Helena nomine. uxor erat Menelai, regis Spartae. Paris erat filius regis Troiae.' Sextus 'deinde' inquit 'Paris Spartam visitavit. statim reginam amavit, et Helena eum amavit. itaque regina Troiam cum eo navigavit.' 'quid fecit maritus? iratusne erat?' rogavit Paulina. 'ita vero. iratissimus erat. maritus "ego" inquit "amicos convocabo. Troiam omnes navigabimus. ego Helenam inveniam. fratrem Agamemnonem auxilium rogabo. cum mille navibus navigabimus, et urbem oppugnabimus."' deinde navigaverunt. urbem oppugnaverunt. bellum longum erat. decem annos pugnant, sed Troiam non ceperunt. erat tamen inter

Graecos dux fortis et callidus, Ulixes nomine. Ulixes consilium cepit. “equum ligneum” inquit “aedificabimus. multi milites in equo erunt. prope muros Troiae eum relinquemus”.

### *Passage 10*

Sextus ‘itaque’ inquit ‘Graeci equum ligneum in castris reliquerunt. deinde ad naves redierunt, et Troia navigaverunt. naves prope parvam insulam celaverunt.’

Quintus fabulam nunc continuavit. ‘Troiani equum conspexerunt. “equum” inquit “in urbem trahemus. donum deorum est. dei enim nobis favent.” equum igitur in forum traxerunt. interea vir malus signum Graecis misit. naves Troiam celeriter navigaverunt. nox erat. cives dormiebant. media nocte milites de equo descenderunt et portas aperuerunt. ceteri milites intraverunt. Graeci urbem deleverunt. Priamum regem et multos viros necaverunt. feminas et liberos servos fecerunt. sed Helenam non invenerunt.’

‘ubi erat Helena?’ rogavit Paulina.

‘nemo scit’ respondit Sextus. ‘cum Paride fugit. vir tamen fortis Aeneas nomine effugit. cum filio et patre et paucis amicis ad Italiam navigavit. ibi novam patriam invenit.’

### *Passage 11*

Aeneas cum paucis amicis ad navem cucurrit. ‘iter’ inquit ‘longum et periculosum erit, sed navem solvere debemus.’ Aeneas et amici trans mare diu navigabant. erant vero multa pericula, sed Iuppiter rex deorum eos custodiebat. tandem ad terram ignotam advenerunt.

‘ubi sumus?’ amici rogaverunt. ‘nescio’ respondit Aeneas. cum paucis viris ad litus transiit. Carthago erat, ubi Dido regabat. deinde Venus mater Aeneae de caelo descendit.

‘Carthaginem’ inquit ‘venistis. regina vos salutabit.’ regina viros ad regiam duxit. cenam bonam consumpserunt. deinde regina ‘pater et filius’ inquit ‘tecum venerunt. nonne uxor quoque adest?’ Aeneas tristis erat. ‘Graeci’ inquit ‘eam necaverunt. ad naves celeriter cucurrimus, sed uxor mea non aderat. ego igitur ad urbem redii. eam invenire non poteram. tum feminam vidi. “estne uxor mea?” me rogavi. minime! umbra uxoris erat. umbra mihi “fugere” inquit “statim debes. patrem tuum et filium nostrum ad terram longinquam ducere debes.” deinde umbra discessit.’

Aeneas in urbe cum regina diu manebat. mox Dido eum amavit. Aeneas quoque reginam amavit. dei tamen eum cum Troianis Carthagine navigare et novam patriam petere iusserunt. Aeneas Didoni ‘navem’ inquit ‘solvere nunc debeo. tecum manere non possum. consilium deorum est.’ Dido lacrimavit. ‘mecum mane, Aenea!’ oravit, sed frustra. ‘quid’ inquit ‘facere debeo? sine eo vivere non possum.’ itaque gladium cepit et se necavit.

### *Passage 12*

Lucia in triclinio cum Cornelia matre sedebat. Cornelia vinum bibebat. Lucia tamen aquam bibebat. parva puella enim adhuc erat. Cornelia ‘cras’ inquit ‘omnes laeti erimus. Marcellus enim Claudiam filiam amicorum nostrorum in matrimonium ducet.’ Lucia matrem de nuptiis rogavit. mater ‘sacerdos’ inquit ‘deis sacrificabit. deinde auguria leget. mater Claudiae filiam parabit. tunica alba et flammeo eam vestiet. in capite eius coronam ponet. omnia nunc parata erunt. postea pronuba Claudiam in atrium cum ancillis ducet. pater et mater post eas ambulabunt. deinde Marcellus cum patre suo et matre sua intrabit. in medio atrio stabit. pronuba manus Marcelli Claudiaeque coniunget. Claudia statim dicet “ubi tu Gaius, ego

Gaia”. omnes ridebimus et laeti erimus. erit postea magna cena. omnes multum cibi consument, et multum vini bibent. vesperi Marcellum et Claudiam ad villam Marcelli ducemus. Claudia postem ibi ornabit. aquam et ignem ei ostendet. deinde Marcellus eam in villam portabit.’

Lucia tacuit. tandem ‘viro’ inquit ‘diviti et pulchro nubere cupio. eum et pecuniam eius bene curabo.’

### *Passage 13*

nuntius qui a Gallia venerat in curiam celeriter cucurrit ubi senatores sedebant. magna voce nuntiavit ‘milites nostri magnam victoriam in Gallia reportaverunt. Vercingetorigem enim ducem Gallorum, contra quem diu pugnaverant, tandem ceperunt. captivus eorum nunc est. mox Caesar cum suis Romam redibit. erunt multi captivi inter quos Vercingetorix erit. ad multas urbes nunc ire debeo. valete!’ senatores laeti erant. ‘pompam triumphalem’ inquirunt ‘parabimus. omnes laete aderunt.’

Publius senator erat. in pompa igitur ambulare poterat. ubi domum advenit familiam convocavit. ‘hodie’ inquit ‘nuntius in curiam venit.’ deinde omnia quae nuntius dixerat eis narravit. de consilio senatorum quoque dixit. mater liberis ‘in urbem’ inquit ‘ibimus et pompam spectabimus.’ liberi commoti erant quod pompam triumphalem numquam viderant.

### *Passage 14*

nuntius in urbem iterum venit. magna voce nuntiavit ‘Caesar Romam advenit. cras erit pompa Triumphalis. pompa ad Campum Martium incipiet.’

postridie Publius cum uxore et liberis in urbem ivit. prima hora iam erat in viis magna turba civium. omnes Caesarem exspectabant. multi cives tabernas visitabant et multum vini bibebant. laetissimi erant. deinde magnum clamorem audiverunt. pompa enim appropinquabat.

milites primi veniebant. arma splendida gerebant. erant post eos multa plaustra in quibus spolia belli erant. post plaustra captivi ambulabant; viri et feminae et liberi, inter quos erat maximum praemium, Vercingetorix dux Gallorum. omnes captivi catenas gerebant. Romani Vercingetorigem crudeli morte necare constituerant. deinde senatores sacerdotesque venerunt.

tandem imperator in quadrigis advenit. paludamentum purpurem gerebat, et in capite coronam lauream. Caesar cives salutavit. cives Caesarem salutaverunt. deinde pompa ad templum Iovis in Monte Capitolino ascendit. sacerdos patri deorum sacrificavit, et gratias ei pro victoria egit. postea imperator cum senatoribus et civibus ludos spectabat. servi epulas paraverant. omnes igitur laeti erant.

### *Passage 15*

Paulinus multos annos mercator fuit. multas naves onerarias habet, quae mercem suam trans mare celeriter portant. mercator, quod Britanni vinum amant quod ab Italia venit, vinum et oleum et frumentum ad Britanniam mittit. ubi naves ad Italiam redeunt stannum et plumbum et argentum portant.

mox tamen Publius mercator non erit. omnes naves enim vendidit. nunc multam pecuniam habet. iter igitur facere poterit ad Britanniam ubi amicos habet. eos cum uxore liberisque

visitare cupit. epistulam igitur ad amicos suos misit. amici responderunt ‘vos omnes laete exspectabimus. celeriter venite!’

iter longum sed laetum erit. ‘quando ad Britanniam ibimus?’ rogant liberi. pater ‘mox’ inquit ‘sed primo Ostiam ire debemus, quod virum cui naves meas vendidi videre debeo.’

itaque iter incipit. postridie Ostiam adveniunt. deinde per Italiam in Galliam iter faciunt. iter longum et difficile est. tandem ad litus adveniunt. Britanniam trans mare videre possunt.

Paulinus ‘cras’ inquit ‘ad Britanniam navigabimus. nunc defessi estis; dormire debetis. ubi ad Britanniam adveniemus, tabernam bonam inveniemus et cenam bonam consumemus. diu manebimus, amicos visitabimus, terram pulchram spectabimus.’